

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ I.C. ac  
Pandectarum Professor Publ. ... Ad Exequias Quas Viro ... Dn. Georgio Rödern/  
Civi primario & negotiatori indefesso, Vidua, liberique moestissimi, hodie ...  
paratas cupiunt, Omnes omnium ordinum cives Academicos amanter invitat**


Rostochii: Kilius, 1676

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn776825119>


Druck Freier  Zugang



**Redeker, H. R.,**  
in  
**Georg Röder.**  
**Rost. 1676.**







61.

RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

HEINRICUS RU-  
DOLPHUS Redeker /

J. C. ac Pandectarum Professor Publ.  
Consistorii item Ducalis Assessor

AD EXEQUIAS

Quas


*Viro Spectatissimo & Integerrimo*



DN. GEORGIO  
Rödern /

Civi primario & negotiatori indefesso,  
*Vidua, liberique mæstissimi, hodiè horâ primâ, in ade-  
Marianâ, paratas cupiunt,*

Omnes omnium ordinum cives Acade-  
micos amanter invitât.



ROSTOCHII,

Typis Heredū JOANNIS KILII, Acad. Typogr. 1676



Salutem!



Uàm vellem! cessare tandem acerbæ mortis argumenta, mihi que, lætiori stylo occupandi calamum, suppeditari materiam. Nullus enim inter nos, quod mihi persuasum habeo, vel compendium ex aliorum calamitate sectatur, vel vitæ, ceterum per adversa actæ, solamen aucupatur. Superant enim, quæ cottidiè tristia heic evenire videm, ipsius etiam pessimi hominis malevolum animum, ut vel in lachrymas vel suspiria commoveatur, cui tam lugubria humani casus spectacula, obversantur oculis. Ille enim est in præsens, nostræ Provinciæ, & subindè nostræ Academiæ, præprimis autem nostræ Urbis, status, ut inopinatio evocentur, quibus longiorem ætatem & feliciorum rerum eventum boni omnes precantur. Ita:

*Ludit in humanis divina potentia rebus*

*Et certam præsens vix habet hora fidem,*

Efferuntur Senes, quorum mors tristis quidem, quia vita naturalis est, sed inter leviora reputanda, quia homines, ad instar omnium creatorum, nascuntur, vivunt & mori

& moriuntur: & quodcunque creatum est, tandem,  
post virium enervatam facultatem, quietem quærit.  
Efferuntur Infantes, quos ideo lugemus, quia speratis  
frui non licet, & in cunabulis exspirant, quibus ampla  
relicta in terris erant virtutis & honoris spatia, in  
splendorem stemmatis evasura. Sed efferuntur etiam  
Juvenes & Viri, non sine justo bonorum omnium do-  
lore, in quibus non commendamus terræ matri cor-  
pora ætate confecta, ut tandē quieti, in spem æternæ  
salutis, mancipentur, & quibus vita, post tot peractos  
labores & superatas ærumnas, molesta est, turbidis exi-  
mantur; sed quorū virium robur, morum probitas, cō-  
fortii utilitas, & iudicii perspecta integritas, prodesse  
potuisset saluti Reipubl. commodo civitatis, familiæ  
præsidio, & omnium, quibus virtus cordi est, expecta-  
tioni: Hi omninò dicuntur immaturè mori, & acerbò  
casu ex hâc vitâ discedere. Quis enim nostrum, qui  
humanitatis sensu ducimur, non condoleat Reipubli-  
cæ, si civis in ipso ætatis flore succumbat, qui potis  
fuit ordinem magistratus exornare, & bonum publi-  
cum consilio juvare? Quis in civitate, seu sociata utili-  
tatis publicæ causâ multitudine, non turberur, si illi  
decedant, quibus onerum civilium moles, firmis  
tanquam nervis, sustinetur, & communi politica con-  
servatur? Quis non moveatur, si videat domum & fa-  
miliam tali familias patre viduatam, qui illi conservan-  
dæ & augendæ fuit studiosissimus? Talem pro do-  
lor! vobis, *honoratissimi cives Academici*, hodiè trado  
2 A lugu



lugubrem figuram. Ubi civitas Rostochiensis dolet  
civem frugi; Parentes mœstissimi, filium morigerum  
& probè à teneris educatum lamentantur; vidua mœ-  
rore concussa conjunctissimum maritum acerbissimo  
fletu prosequitur; liberi infantes, quibus haud dis-  
cernere hætenus datum est, quem, qualemque pa-  
trem habuerint, deplorant; omnesque boni, propter  
amicum, socium, civem, & virum bonum amissum  
cum fletu largo exequias eunt. Fuit is, cujus obi-  
tum immaturum vobis denunciandum, & funus acer-  
bum indicendum habeo, *Vir optimi apud nos comma-  
tis, Dominus GEORGIUS Röder / civis & nego-  
tiator inter Rostochientes primarius. Natus autem is  
est, cui hodiè justæ exequiæ parantur, & corpus  
inanimum efferetur, die 20. Junii Anno 1644, Lu-  
becæ, adeoque in Civitate Imperiali liberâ, & empo-  
rio florentissimo: non obscuro equidem loco, nec  
obscuris parentibus, sed omni ex parte laudatissimis:  
Patre scilicet viro spectatissimo Dno. CONRADO  
Röder / cive & mercatore Lubecensium integerrimo  
& solertissimo; Matre autem matrona honora-  
tissima *Ilsebe Wiebekingen / qui Parentes, huc dum sin-  
gulari omnipotentis Dei benignitate! superstitibus, opti-  
mi & carissimi filii insperatum planè obitum acerbis-  
simis querelis & gravissimo luctu prosequuntur. Avus  
Paterne ipsi fuit Vir Præstantissimus Dn. Hermann.  
Röder / Civis & Negotiator inter Lubecenses fulgi-  
dus; Avia, femina honestissima Magdalena Zoppen/  
Dni,**

Dni. *Erasmi Zapfen* Senatoris olim Lubecensis egregie meriti filia. Avum maternum laudat virum spectatæ apud Lubecenses prudentiæ & auctoritatis *Dn. GEORGIUM Wiebeking* Senatorem & Patricium, Lubecensem splendidissimum: Aviam autem, clarissimam Matronam *CATHARINAM Humborgs* Patre *Dn. WILHELMO Humborgs*, viro Amplissimo, natam. His majoribus progenitus Georgius noster, sub primâ lucis hujus usurâ, quæ prima homini recens nato contingere potest felicitas, Sacramento regenerationis cohorti Salvatoris est adscriptus, ne in tenebras exteriores abjiciatur celestis politiæ civis. Deinde primis ab annis, sub providâ parentum suorum optimorum curâ, illis studiis moribusque imbutus est, quorum prima ætas capax, & quibus omnes vitæ honestè locandæ rationes exornantur. Quoniam autem parentum ductu, nec minùs patriæ communiori usu, mercurialibus negotiis potius quam Musarum disciplinis sese ad sociare cupivit, animum ad mercaturam adplicavit, & quia negotiari semper quàm otiosi maluit, non in patriâ civitate duntaxat, sed alius etiam in emporiis, ad ora maris Baltici celebribus, mercaturæ industriam, & negotiandi peritiam exercuit: donec, Deo sic disponente, de sociâ fortunarum & familiæ regundæ esset sollicitus: in quem finem tori sociam sibi elegit virginem elegantissimam *Annam Sophiam*, Civis apud nos quondam primarii Caroli Sibethen, ex nobilissima Sibethorum familiâ, inter Sco-

tos

tos famosâ, orti, filiam lectissimam, viduam hodiè mœ-  
rore, luctu & lachrymis afflictissimam. Cum itaque in  
matrimonii fœdus, conspirante animorum consensu  
& amore reciproco, anno 1668, solenni ritu iuissent,  
concors per octennium fuit conjugii hujus vinculum,  
& quamdiu non solum morte, divinâ accedente  
gratiâ, auspdatum. Nec parum ad conjunctionem  
animorum conservandam augendamque faciebant  
liberi, in familiæ gaudium prognati; siquidem lau-  
datissima conjux, quintâ prole quatuor nimirum fi-  
liis *Conrad, Carl, Georg. Dieterich, & Herman*, unicâ-  
que filia *Isabe Margaretha* / maritum æstimatissi-  
mum beavit; Qui liberi superstites immaturam a-  
mantissimi patris mortem, partim amaro fletu la-  
mentantur, partim nondum sentiunt, quæ ipsis ex o-  
culis sublata felicitas. Cum autem morbi, qui tristissi-  
mo huic funeri causam dedit, vim & symptomata,  
Vir Experientissimus & Excellentissimus *Dominus*  
*JOHANNES BACMEISTERUS* Med.  
D. & Prof. collega & compater noster venerandus,  
qui omnium optimè isthæc describere novit, nobis  
suo explicuerit iudicio, ejusdem verbis illa definire pla-  
cet, ne videamur falcem in alienam mittere messem,  
vel censuram de illis sumere quæ Medicorum curæ  
sunt commissæ, quibus etiam, ceu peritis in arte me-  
dicâ fidendum est.

Cum

Cum Morbi Venenati, Maligni & Contagiosi, ex inquinamento scelotyrbico æconomiam nostri corporis turbante maximam partem provenientes, non solum Urbem nostram sed & totam Provinciam Meckleburgicam proditor! per aliquot temporis spacium tantâ servitiâ occuparint, ut vel nulli pepercerint sexui, ætati nulli, sed veluti belua haud paucos interemerint, tandemq; etiam Affinem & Compatrem meum honoratissimum DN. GEORGIUM RÖDERUM, Virum fortean ad majora natum, hostiliter impetierint, eiusq; spiritus, humores, ac solidas in universam partes non obstante exquisitissima, quam summa cum dexteritate adhibui, cura, furibundis suis satellitibus stipati, mitere expugnarint; superfluum planè esse duxi, vel de hoc ipso Morbo ejusq; symptomatibus quicquam proponere. Tribus dicam verbis. Febre maligna punctulari laboravit, visq; Morbi tandem ipsam Regni microcosmici Metropolim aggressa, virtutem corporis medicamentorumq; præstantiâ superavit, atq; sic amicusissimus meus RÖDERUS mortuus est, magnum omnibus bonis sui desiderium relinquens.

Isthæc est defuncti nostri RÖDERI honestissimæ originis pariter & beatæ mortis, prout nobis ex relatione constat, vera descriptio. Cæterum quæ ad ejus vitæ curriculum pertinent, hæc in urbe cuius notum est, fuisse illum bonū virum, & pariter civem industrium. Siquidem erga Deum semper contestare est devotum cultum; erga Magistratum obsequiū civile; erga cives affectum sincerum; erga uxorem amorem constantissimi.

risimum, erga omnes humanitatem & modestiam,  
Ast, cum maximè voluit prodesse bono publico; in-  
servire communi utilitati; placere amicis & sociis;  
thesaurizare uxori atque liberis, ad arbitrium supre-  
minuminis, vitam cum morte, in ipso ætatis flore  
commutavit. Quoniam autem inexpectatus hic  
casus superstitibus huc dum parentibus honestissimis  
lugubris, conjugii laudatissimæ, jam viduæ mœstissi-  
mæ, dolorosus, liberis suavissimis, ast nondum educa-  
tis, acerbus, & bonis omnibus tristis evenit; Nostrum  
erit, *Cives Academia honoratissimi*, funus hoc, quod  
suo dolore, suis lachrymis, suisque querelis undi-  
quâque repletum est, postremo humanitatis officio  
cohonestare, & illi justa, in solamen miserè afflicto-  
rum, persolvere, qui semper paratus fuit officiosam  
cuicunque mentem explicare. Ite ergo mecum  
exequias, & inter eundem cogitate, **VOS**  
**ESSE MORTALES.**

*Dab. sub sig. Rect. d. 29. Maji*  
*Anno 1676.*





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.









Cum Morbi Venenati, Maligni & C  
 namento scelotyrbico æconomiam nostr  
 te maximam partem provenientes, non  
 stram sed & totam Provinciam Mele  
 tor! per aliquot temporis spacium tan  
 rint, ut vel nulli pepercerint sexui, et at  
 belua haud paucos interemerint, tandem  
 & Compatrem meum honoratissimum  
 RÖDERUM, Virum fortean ad majora  
 impetierint, eiusq; spiritus, humores,  
 versum partes non obstante exquisitissim  
 cum dexteritate adhibui, cura, furibun  
 stipati, mitere expugnarint; superfluum  
 de hoc ipso Morbo eiusq; symptomatibu  
 ponere. Tribus dicam verbis. Febre  
 culari laboravit, visq; Morbi tandem  
 crocosmici Metropolim aggressa, virtu  
 dicamentorumq; præstantiâ superavit, a  
 meus RÖDERUS mortuus est, magnum e  
 desiderium relinquens.

Isthæc est defuncti nostri RÖDERI h  
 ginis pariter & beatæ mortis, prout n  
 constat, vera descriptio. Cæterum  
 curriculum pertinent, hæc in urbe c  
 fuisse illum bonū virum, & pariter ci  
 Siquidem erga Deum semper contest  
 cultum; erga Magistratum obsequiū  
 affectum sincerum; erga uxorem ar

inqui-  
 urban-  
 em no-  
 rob do-  
 occupa-  
 d veluti  
 Affinem  
 RGIUM  
 sibiliter  
 in uni-  
 unma  
 llitibus  
 xi, vel  
 n pro-  
 uncti-  
 gnimi-  
 us me-  
 ssimus  
 nis sui  
 æ ori-  
 atione  
 s vitæ  
 m est,  
 trium.  
 otum  
 a cives  
 stan-  
 tili-

